



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Magdebvrgensi, spiritum consilij sanioris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

pleatis. Ecce enim regiones albet ad messum, ita ut nisi messor negligat messionem, sed false accingat potius ad metendum, metere non solum quæ seminaverat ipse possit, sed in aliorum intrare laborem & quæ alij seminaverant congregare. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentius & per apostolica vobis scripta mandamus quatenus ut finem de cetero tam vestris quam imperij laboribus imponatis, taliter vos accingere procuretis ut cum eum vocabimus ad coronam, nulla vos mora detineat quin in forti manu & brachio extento, prout videbitur expedire, ad nostram eum præsentiam honorificè adducatis, apostolica benedictionis gratiam & sacræ unctionis mysterium suscepturum. Taliter igitur exequimini quod mandamus ut ea intentione vos ostendatis hæcenus laborasse quod finem tantis imponeretis laboribus & dignè reciperetis pro tanto & tam diutino labore mercedem. Datum Anagninæ 19. Kal. Februarij.

In eundem fere modum Lantgravo Thuringia.

In eundem modum Comiti Palatino Rheni.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI,
spirituum consilij sanioris.

Epist. 109.

IN admirationem inducimur vehementem & non modico merore turbamur quod cum Magdeburgensis Ecclesia in magnæ necessitatis articulo, videlicet tempore schismatis, sinceritatem devotionis & constantiam fidei Ecclesie Romanæ servavit, & in eadem usque ad hæc tempora permanerit puritate, nunc te faciente, quod dolentes referimus, obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, & argentum tuum in scoriam est conversum, contra id quod de te hæcenus putabamus. Inter ceteros etenim ecclesiasticos & seculares imperij Principes te credebamus Romanam Ecclesiam quodam modo specialius venerari & nos ipsos brachiis sincerioris caritatis amplecti & sic in apostolicæ sedis devotione firmiter permanere ut nec mors, nec gladius, nec fames, nec aliud te posset à caritate ipsius aliquatenus separare. Sperabamus siquidem quod sic nobis fideliter adhereres quod velles cum triumphantibus triumphare, ac licet casum non posses formidare nobiscum, reputares tamen, si cum cadentibus caderes, gloriosum, & beatum te crederes si persecutionem propter justitiam & obedientiam pateris. Sanè advertere debuisses ne relicta obedientiæ semita, contra stimulum calcitrans, ad inobedientiæ devia declinares, cum obedientia præferatur victimis, & idololatriæ inobedientia comparetur, dicente Propheta: *Numquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potius ut obediatur voci ejus? Melior est enim obedientia quam victima, & auscultare magis quam offerre adipe arietum; quoniam peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* Legeras autem quod inobedientia de paradiso primum hominem expulit, & Saulem à regno deiecit. De Christo verò, quia factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis, in Apostolo novimus te legisse quod propter hoc Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in

nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur quoniam Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris. Quia ergo scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi, & servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis, cum quàm commendabile sit obedientiæ bonum & quàm detestabile inobedientiæ vinculum ex divinæ paginæ didiceris lectione, veterem hominem cum actibus suis exuere debuisses & novum induere qui tibi & aliis reliquit exemplum ut sequamini vestigia ejus; quatenus sicut ipse non solum obediens Deo patri, sed Mariæ ac Ioseph subditus fuisse describitur, sic & tu superioribus subditus non resisteres contumaciter, sed humiliter obediens; ne si aliter ageres, pro pari crimine puneris non impariter cum Saule. Licet autem inobedientiæ vitium potuissimus jam pridem in te graviter vindicare, cum propter hoc per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolicæ sedis Legatum, qui quantus in Cisterciensi ordine fuerit, & quantum locum in Ecclesia meruerit obtinere, quantumque per injunctum ipsi legationis officium auctoritatis ei accesserit & honoris, te non credimus ignorare, fueris excommunicationis sententiæ innodatus, nec te propterea excommunicatum habueris, sed excommunicatus præsumptis celebrare, nos tamen canis tuis & honestati parentes, quantumcunque videmur derogare Legato, licet id non faceremus animo derogandi, te fecimus à vinculo excommunicationis absolvi, credentes quod patientia nostra te ad pœnitentiam revocaret, nec gratiæ nostræ te de cetero exhiberes ingratum, sed gratias agens potius obediens. Verùm, sicut opera tua testimonium perhibent veritati, factus est novissimus error tuus pejor priore, cum ex benignitate nostra sis amplius induratus, ita ut despere videaris in senio qui tempore sapueras juventutis. Ecce etenim cum idem Legatus, de quo fiducialiter gloriamur quod à Vide supra epist. 56. 84. muneribus excutit manus suas, & de quo verè dicere possumus, *Non fuit qui ditaverit Abraham*, tibi ex parte nostra sub debito juramenti quod in tua nuper absolutione præstiteras districte præceperit, & nos etiam per litteras nostras dederimus in mandatis ut super imperij Romani negotio nostræ acquiesceres voluntati, & carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem nos in Regem suscepimus, tu quoque nobiscum eum in Regem suscipiens, fideliter adhereres, tu tamen nec ejus nec nostro mandato deferens, nec præstitum juramentum attendens, noluisti quod mandatum tibi fuerat adimplere; immo cum propter hoc excommunicatum te renuntiaverit & perjurum, relaxasti contra eum & Romanam Ecclesiam linguam tuam, & nescimus cujus appellationis obtentu deferre sententiæ contempsisti, cum etiam in dubio debuisses viam eligere tutiorem, & donec res nostro diffiniretur iudicio, sententiam observare. An fortè putas quod mandatum tibi factum fuerit contra Deum, aut in tali negotio, tamquam ad apostolicam sedem non spectet, nobis

non debeas obedire? Certè multùm desipis, si hoc sapias. Nam & nos homines sumus, & Deum cœli timemus, nec quicquam vellemus contra ipsum statuere aut supra nos aliquid arrogare. Quantum autem in hoc facto deliqueris, & quam merueris ex contumacia tanta pœnam, meliùs experiteris in opere quàm ex canonica reneas lectione, nisi adhuc, quantum possumus, tuæ vellemus honestati deferre; sed nisi deferentibus deferas, & deposito corde lapideo carneum cor assumes, & obedias voci nostræ, quantò differtur amplius, tantò gravius inferetur. Sanè si fuisset in facto imperij personarum aut munerum acceptores, si potentiam præposuisset iustitiæ, & pervertisset iudicium æquitatis, inobedientiam tuam vel dissimularem omnino, vel saltem minùs molestè ferremus. Verùm cum personarum acceptione postposita, non attendentes vultum potentis, nec impotentis iustitiam contemnentes, secuti fuerimus æquitatem, & jam Dominus iudicium nostrum certis videatur indicis approbasse, contumaciam tuam nec debemus nec volumus ulterius in patientia sustinere, cum secundùm Apostolum parati simus inobedientiam omnem ulcisci, quam ex hoc & tu ipse ampliùs manifestas quòd expectatus diutiùs, licèt promiseris, nullum tamen propter hoc miseris responsalem. Volentes autem adhuc, si possumus; te ad viam rectitudinis revocare, monemus & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta in virtute obedientiæ districtè præcipiendo mandamus quatenus omni excusatione cessante, prædicto Legato infra mensem post suscepcionem præsentium plenè satisfacias de injuriis irrogatis, & sicut idem tibi ex parte nostra præceperit, super facto imperij nostræ consentias & obedias voluntati; præsertim cum idem Rex sufficientem præstare velit super indemnitate Magdeburgensis Ecclesiæ cautionem. Alioquin noveris nos venerabilibus fratribus nostris Mindensi, Verdensi, & Hildesemensi Episcopis dedisse districtiùs in mandatis ut ex tunc te singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, appellatione remota, excommunicatum publicè nuntient, & per vicinas dioeceses faciant sub solemnitate simili nuntiari; suffraganeis tuis & Magdeburgensi Capitulo ex parte nostra in obedientiæ virtute mandantes ut inobedienti tibi nullam reverentiam prorsùs impendant, nec te ut Metropolitanum honorent, sed ut excommunicatum evitent. Quòd si nec sic arbor tua fora stercorebus fructus protulerit requisitos, securim ad radicem ficulneæ infructuosæ ponemus; ut juxta proverbium veritatis, arbor quæ non fecerit fructum bonum, excidatur, & mitatur in ignem.

EPISCOPO PATAVIENSI.

Epist. 110.

Non est tibi vel alij formidandum quòd nos, qui debemus omnium jura tueri, velimus imperij Romani jura turbare, ne inde nascantur injuriæ unde jura nascuntur, cum illa simus mensura contenti quam Christus in evangelio diffinivit. *Reddite, inquit, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ne quis igitur

æstimet quòd contra jura imperij Romani aliquam nobis obligationem feceris aut etiam sponsonem, præsentibus tibi litteras in testimonium duximus concedendas; in quibus scripturam illam quam ad tuam innocentiam ostendendam nobis dedisti de verbo ad verbum duximus adnotandam. **E G O . . P A T A V I E N S I S** EPISCOPVS per hoc scriptum meo sigillo munitum profiteor & affirmo quòd litteras illas in quibus quoddam capitulum continetur per quod clavibus Ecclesiæ, quas Deus beato Petro & successoribus eius concessit, videtur aliquatenus derogari, nec legeram nec audieram antequam ad præsentiam Domini Papa venissem, licèt litteris illis meum sit sigillum appensum; quoniam minùs cautè vacuo pergameno meum iusti sigillum apponi, credens quòd nihil in eo scribi deberet in derogationem ecclesiastica potestatis. Vnde capitulum illud contra claves Ecclesiæ nec approbo nec defendo, sed corde credo & ore confiteor quòd quicquid Romanus Pontifex, qui est successor beati Petri & Vicarius Iesu Christi, ex auctoritate ipsarum clavium ligaverit super terram, erit ligatum in cœlis, & quicquid solverit super terram, erit solutum in cœlis. Datum Laterani x. Kal. Iunii, anno septimo.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTIE.

Olim, si bene recolimus, pro consummandâ copula inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem in Romanorum Imperatorem electum, & dilectam in Christo filiam [Mariam] natam tuam nobis humiliter supplicasti, ut dispensationem quam venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus de speciali mandato sedis apostolicæ fecerat inter ipsos auctoritate dignarem apostolica confirmare. Cui petitioni, propter multam utilitatem quæ noscitur ex hoc imperio proventura, consensum præbimus pariter & favorem. Nunc autem, quòd grave gerimus & molestum, occasionibus frivolis adinventis ipsam eidem Regi sponso suo tradere malitiosè recusas, cum solemniter inter ipsos sponsalia sint contracta, & hinc inde tam per te quàm per homines tuos præstito iuramento firmata, illicitum habens, ut dicitur, cum nobili viro Philippo Sueviæ Duce tractatum ut eam carissimo in Christo filio nostro Frederico illustri Regi Sicilia nepoti suo copules in uxorem. quòd utique tantò gravius reputamus quantò magis ex hoc & animæ tuæ periculum & famæ dispendium procuratur. Cum enim prædictus Rex Sicilia sororem carissimi in Christo filij nostri illustris Regis Aragonum germanam, uxorem quondam illustris Regis Vngariæ, accipere debeat in uxorem, & jam inter ipsos per dilectum filium Roffridum tituli sanctorum Marcellini & Petri Presbyterum Cardinalem Casinensem Abbatem, tunc apostolicæ sedis Legatum, de mandato nostro, mediantibus & jurantibus familiaribus utriusque, sponsalia sint contracta, præter id quòd dicta filia tua ipsum Regem Sicilia linea consanguinitatis attingit, quare non posset eidem matrimonio copulari, sustinere non possemus aliqua ratione ut contra hoc quòd hinc etiam nobis approbantibus est firmatum temeritate qualibet veniretur. Nos autem,

Epist. 111.
Vide supra
epist. 66.

Vide supra
epist. 80. &
lib. 11. epist.
4. 134.